



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Iosephi Speranzæ, Congregationis Oratorii Fanensis  
Presbyteri, Scripturæ Selectæ**

**Speranza, Giuseppe**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Digressio de operibus Misericordiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44265**

Digressio de operibus Misericordiae.

De Hospitalitate.

PUNCTUM LXXXVII.

**I**n hac, ut in aliis charitatis operibus, insignis Job: *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Sept. addunt: *Omni viatori patuit;* non uni, aut alteri, sed omni Hebraeus: *Ostia mea peregrino pateverunt;* quod adhuc majorem emphasim habet: q. d. Undequaque patebant ad meam domum aditus: volebam enim non uno tantum ostio, sed omnibus excipi peregrinos. Sic in scholiis Varabli. Quid mirum? Hanc à suo consanguineo hereditavit virtutem, Abraham scilicet.

De hac praesertim virtute Abraham ab Apostolo laudatur: *Per hanc quidam placuerunt, Angelis hospitio receptis.* Quam historiam justum est ab ore Chryostomi audire, qui quor. verba habet, tot sententias habet: *Apparuit autem Dominus ei in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum, &c.* Ubi, antequam audiamus Chryostomum, notare est, quod dici solet, fas esse Deum pro Deo relinquere. Apparuit ei Dominus, & ecce visis peregrinis cucurrit. Cur cum Deo non loquitur? Cur abit, Deumque deserit? Deum pro Deo relinquit?

Nunc ad Chryostomum, qui primò ponderat illud, quod esset *In ostio tabernaculi*, non in tabernaculo, sed in ostio tabernaculi. Tantoperè, inquit, curabat hospitalitatem, ut noller hospitem venationem cuiquam familiarium committere, sed trecentos decem, & octo habens vernaculos, homo senex; & nunc decrepita ætatis (centenarius enim erat) apud januam sedebat, quasi diceret Chryostomus: Ipse, ipse, et si senex, huic venationi,

**A** ac hospitem prædæ operam dabat, nec fatigabatur vel in Meridie, & in ipso fervore diei, pro sua quiete ducens ministrare viatoribus, quos sub rectum introducere studebat, non curiosè explorans eos, an noti, vel ignoti essent, & quia latam hospitalitatis sagem expanderat, meruit & universitatis Dominum cum Angelis suis suscipere.

**B** Quæritur hic, an Abraham noverit Angelos, necne. Interlinearis asserit. Chryostomus negat, ab utroque moraliter: si noverit, noluit tamen non agere erga visibiles hospites, quod debebat, dispensationi nimirum angelicæ in forma ministrando. *Laventur pedes vestri, &c.* At non egebant ablutione? Sed ego ego ablutionis merito, inquit Abraham, laventur hi pedes, quales sunt. Quo docemur, cum hospites pro viribus agendum, ut beneficium recipiant, nostra enim summoperè interest, si dignantur accipere.

At Chryostomus cognovisse negat; unde dictum Apostoli legit: *Per hanc quidam nescij, Angelos exceperunt hospitio;* & hinc meritum auget, quod ignorans quinnam advenerint, talia erga illos exhibuit charitatis officia.

**D** Domine, si inveni gratiam coram te, ne transeas servum tuum, &c. Quo loco primum ponderat eorum voluntatem, ut in tabernaculum suum diverterent, non existimavit sufficere, ut verbis duntaxat adhortaretur. *Adorabat*, inquit, *super terram*, quasi supplicans, & efficacem exhortationem afferens, ut ne putetur perfunctoriè adhortari. Deinde perpendit, quod omnia, quæ offert, extenuat. *Asserunt pauillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis.* q. d. Fatigati estis, & multum tulistis æstum, idè oro, ne prætereatis servum vestrum. Num magnum quiddam est, quod ego exhibeo? Aquam vobis solam præstare possum, quæ pedes vestri laventur. Deinde mensæ dicit speciem: Ne puteris, inquit, me splendida vobis appositurum, vel condimentorum diversitatem, vel assatorum varietatem, panem

Mm 3. come-

Hugo Card.

Græcè.

Abraham extenuabat sua officia.

Job. 31.  
Sept.  
Hospitalis:  
S. Tob.

Varabl.

Hebr. 13.  
Chryf. hom.  
41. in Gen.  
Gen. 18.

Abraham  
Deum pro Deo  
relinquit.

Hospitalitas  
Abrahæ.

Abraham hospitem  
venator.

comedetis, & sic transibitis. Vidisti quomodo variis vitur modis, precibus vincere praterentes, & gestibus, & verbis, & operibus sic efficacibus attrahere eos volens? Primum adorat, deinde dominos vocat, postea dicit, quae illis exhibiturus sit, extenuans res, & nihil esse significans. Ait enim: *Aquam hanc omnibus expositam habeo*; vel juxta alium Translatorem Chrysof. Aquam enim tepidam, inquit, habeo ad lavandos pedes (q. d. ad effectum hanc super ignem semper aquam habeo) & panem, & rectum ab arbore, ne parvi feceritis meum tabernaculum, ne desperaveritis senectutem, ne rennatis ad exhortationem meam, scio quantum fertis laborem, conjecto quantum sit calor aestus, & propterea paululum vos refrigerare volo. O charitatem, cui convivi opiparum, quod parabat, nihil videbatur! *Ponam buccellant panis.*

Ubi autem dixerunt: *Sic fac, ut dixisti*; senis excitatus est juvenilis vigor: & vide eum exultantem in opere, & quasi praegaudio saltantem.

*Et festinavit Abraham in tabernaculum.* Ut primò accurrit, sic modò festinavit: festinat, anhelat, currit senio confectus in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: *Accelera, misce tres mensuras simila*. Non fufuris, sed simila, floris: quia hospites melius excipiendi.

Vide, quomodo sciens boni operis magnitudinem, volebat vitae suae sociam etiam retribuendarum rerum esse participem. Quare enim, dic mihi, nulli famulorum, ac famularum hoc praecipit, sed mulieri tam provectae aetatis? Nonaginta enim annorum erat. Non rebellat mandato Sara, sed parem alacritatem etiam ipsa affert. Audiant viri, audiant mulieres. Viri quidem, ut sic suas contubernales erudiant, ut si quando spirituale lucrum incidat, ne per famulos hoc perficiatur, sed per ipsos faciant omnia. Mulieres autem, ut accedant adjuvare viros tam bonis operibus, & non erubescant aliquos excipiendo hospites propter Christum, illis congruum praebere ministerium, & per seipsas afferre, sed imitentur Saram veterulam in tanta senectate laborem liben-

ter suscipientem, & famularum opera perficientem.

*Et ut hoc praecipit, ad boves ipse iterum accurrit.* Quasi impatientis non contentus semel, iterum accurrit. O senis juventutem! o animae constantiam! currit ad boves, & non permittit aliquem famulorum eò transire: per omnia monstrans his, qui advenerant, quanta voluptate perfusus sit, & quanti faciat eorum praesentiam, & quòd hunc pro thesauro habeat honorem. *Et accepit, inquit, vitulum novellum, & bonum.* Ipse per semetipsum electionem fecit, & optimum, qui aderat, accepit, pueroque dedit, & illum quoque urget, ut sine mora, quanta fieri potest, appropere. Animadvertite, quomodo omnia cum velocitate, cum ferventi alacritate, cum hilaritate, cum gaudio, cum magna jucunditate sunt. *Et festinavit puer, ut hoc faceret.* Et neque hic senex quiescit, sed iterum in ministrorum ordinem transit. Et ut accepit butyrum, & lac, & vitulum, quem mactaverat, apposuit illic. Sic per semetipsum omnia facit, & apponit, & neque dignum semetipsum censuit, qui consideret eis, sed illis comedentibus *adstabat ille sub arbore.*

O magnitudinem hospitalitatis! o humilitatis excellentiam! o mentem oppido piam! Adstabat centenarius comedentibus illis. Mihi videtur, tunc praegaudio, alacritate multa, impotenti imbecillitate sua factus superior, & robur quoddam accepisse. Adstitit Patriarcha quasi famulus, summum honorem suum existimans, quòd praesentibus ministraret. Vidisti, quanta iusti hospitalitas; neque enim hoc solum considera, quòd panes proposuit, & vitulum, sed illud cogita, cum quanto honore, & quanta modestia exhibita sit hospitalitas, non sicut mulci, qui, si quid tale fecerint, superbiunt, & despiciunt susceptos, eò quòd ministerium illis exhibeant, hoc autem perinde est, ac si quis divitias congreget, & circumferat, & cum collegerit, omnia simul è manibus labi sinat: quisquis enim cum arrogantia operatur quidpiam, & sic facit, quasi plus praebere, quam acciperet, mercedem, quae hinc provenit, disperdit.

*Abraham adstavit pro reverentia sui hospitibus.*

*Abraham voluit uxorem habere sociam operis mercatoris.*

Non

Non sic Abraham, qui propterea, ubi largiter, & magna hilaritate seminavit hospitalitatem, statim & manipulos ubertimos mesuit. Hæc ex aureo Chrysofomi profuvisio. Ex qua historia omnia perfectissimæ hospitalitatis officia satis abundè colligimus, desiderium suscipiendi, diligentiam, hilaritatem, charitatem, humilitatem, in ministrando, vel quòd eos sit comitatus.

Sed non dissimilem, neque fortasse minorem hospitalitatis retributionem videamus in Rahab. Rahab meretrix nomine ex operibus justificata est, suscipiens nuncios, & alia via ejiciens? Ob quod, ut habetur in Josue, ab excidio eduxerunt Rahab, & parentes ejus, fratres quoque, & cunctam suopellecilem ac cognationem illius, & habitaverunt in medio Israël usque in presentem diem, eò quod absconderit nuncios, quos miserunt, ut explorarent Jericho. Ubi Serarius: Merito, ac intuitu Rahab salvi facti sunt ab incendio pater, & mater, fratres, ac sorores, omnes eidem sanguine propinqui, omnes affinitate conjuncti, omnes eorundem filij, ac filie, omnes famuli, ancillæ, quæ in omnibus istorum domibus, ac familiis esse poterant. Hebr. Et

eduxerunt omnes familias ejus. Alij, Cogitationes. Alij, Profapias ejus; ut propterea plurimi, qui aliquo gradu, quavis ratione ad ipsam spectarent, salutem sint consequuti, non solum corporis, sed etiam, ut creditur, animæ, iique non minus, quàm ducenti esse poterant. O præmium charitatis! quid quòd tantopere Deo placuit actus hic charitatis, ut eam unam esse voluerit sui filij progenitricem?

Hinc Origenes observat illud Apostoli: Hospitalitatem sectantes; non illud, inquit, solum ostendit, ut venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed ut requiramus, & solliciti simus, sectemur, ac perquiramus ubique hospites, ne forte in plateis sedeant.

Vadimus ad domum Dei, nullusquo subtectum vult nos recipere. Quærela pau-

perum, ac peregrinorum est. Filius hominis non habet (in paupere) ubi caput suum reclinet.

Ego veni (in persona peregrini) in nomine Patris mei, & non accepistis me, si venerit alius in nomine suo (Dominus talis, vel Princeps) illum accipietis. Sic quidam pauperes excludunt, Magnates excipiunt sumptuose.

Transibat Eliseus per unam civitatem. 4. Reg. 4.

Erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, ut comederet panem, cum quo frequenter inde transiret, dixit ad virum suum: Annadverto, quòd vir sanctus Dei est iste, qui transit per nos frequenter (non leviter judices vagos, & peregrinos) faciamus ei canaculum parvum (nam pauperi Eremi-tæ parvum sat est) Et ponamus in eo lectulum, & mensam, & sellam, & canaclabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. q. d. Suum

apud nos habeat hospitium, quod jus ut ille inviolabiliter custodiat, nostra interfit. Sed tantæ hospitalitatis præmium? Ecco sedulo in omnibus ministrasti nobis! (boni hospitis digna laus, sed & digna retributio) Quid vis, ut faciam tibi? nunquid habes negotium, & vis, ut loquar Regi? (Non terras tantum, sed cæli?) Elicium non habet (spiritum, opera, virtutes.) In tempore isto, in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. O quàm verum non solum de rebus temporalibus, sed etiam spiritalibus! ô quàm acquisitis! ô quàm proficis hisce actibus charitatis!

Mox ut justas pedem infert in aliquam domum, pluuat in eam benedictiones.

Experimento didici (ait Laban ad Jacob) quia benedixit mihi Deus propter te. Sic

Jacob ad Laban: Modicum habuisti, antequàm venirem ad te, & nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum. Idem accidit ad introitum Joseph in domum Egypti: Benedixit Dominus domui Egypti propter Joseph, & multiplicavit eam in adibus, quàm in agris eundem ejus substantiam.

Hæc

Luc. 2.

Josue 6.

Serar. ibid.

9. 43.  
Rahab sua  
hospitalitate  
hospitavit pro-  
spiciam suam  
tam, & fa-  
cta est a via  
Christi.  
Hebr.  
Alij.

Rom. 12.

Orig. ibid.  
Hospites se-  
ctandi & in-  
vestigandi.

Judic. 18. 19.

Matth. 8.

Joan. 5.

4. Reg. 4.

Hospitalitatis  
cumulat à re-  
muneratio.

Genes. 30.

Genes. 39.

Indic. 19.

Hoc ille noverat in lib. Judicum, qui ad quendam Levitam, qui in platea jacebat: Pax tecum sit, ait, ego prestabo omnia, quae necessaria sunt, tantum, queso, ne in platea maneat. Et introduxit eum in domum suam, & pabulum asinis praeiit, ac postquam laverunt pedes suos ( antiquissimum in peregrinos obsequium ) recepit nos in convivium.

Antiquitas inviolabile servabatur jus hospitij inter familiares, unde cum quis hospitabatur apud aliquem, dicebatur acquirere jus hospitij, quod nec recipientes, nec recipiendi violabant. O si Christi verba audivissent: Qui recipit ves, me recipit; quam strictius hujusmodi jus inviolabile custodissent! quanta majori diligentia quae siverent hospites! &c.

Hieron. l. 3. contra Ruff.

Hieronymus de se ipso: Nobis, inquit, in Monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes lata humanitatis fronte suscipimus, veremur enim, ne Matia cum Joseph locum non inveniat in diversorio, ne nobis Jesus dicat exclusus: Hospes eram, & non suscepistis me. Unde & propositum nobis est pedes lavare venientium, non merita discutere.

1. Pet. 4. Religiosi sunt hospitales.

Hospitales invicem ( & Religiosi praesertim ) sine murmuratione. Bene sine murmuratione: pauci etenim sunt qui saltem intus non murmurent, recepti, quod male excipiantur, recipientes, quod nimis graventur.

Greg. Tur. hist. l. 10. c. 23.

Sed hi meritum, ac remunerationem hospitalitatis ignorant. Non sic ille, cui tantum profuit, hospitalem fuisse, uti narrat Greg. Turonens. Homo erat in Antiochia valde devotus in eleemosynis, conjugem, ac liberos habens, nec unquam ei in omni vita sua dies praeteriit, postquam quiddam proprium habere cepit, in quo sine pauperibus epulum praebisset. Hic una die cum circumisset urbem usque ad vespertum, & reperire non potuisset egenum, cum quo cibum capere posset egressus extra portam, cum nox irrueret, reperit virum in veste alba cum duobus aliis stantem, quem aspiciens, quasi Lot ille antiqua memoratus historia, tertius ait: Et forsitan peregrinus est

Quidam ob hospitalitatem, ac misericordiam in pauperes veluti alter Lot, ab excidio Antiochia eripitur.

Dominus meus? Dignetur cum sociis accedere ad domum servi sui, & sumpto epulo quiescere in strato, mane autem proficiscemini viam, quam volueritis. Cui ille, qui erat senior, tenens sudarium in manu sua ait: Non poteris, o homo Dei hanc urbem servare, ne subvertatur. Et elevans manum excussit sudarium, quod tenebat, super medietatem urbis, & statim corruerunt omnia aedificia, & quodcumque ibi structum fuit, ibique oppressi sunt senes cum infantibus, viri cum mulieribus, atque uterque sexus interiit. Quod ille cernens, tam de persona viri, quam de soni vehementia hebes effectus, ruit in terram, & factus est velut mortuus.

Elevansque iterum vir ille manum cum sudario, quasi super aliam medietatem urbis, apprehensus est a duobus sociis, qui cum eo erant, atque obsecratus terribilibus sacramentis, ut indulgeret medietati urbis, ne rueret. Mitigato igitur furore, sustinuit manum suam, atque elevans hominem, qui corruerat in terram, ait: Vade ad domum tuam, ac timeas, filij enim tui cum vxore, & omni domo tua salvi sunt, nec quinquam ex eis periiit. Custodivit enim te oratio assidua, & elemosynae, quas quotidie exerceas in pauperes. His dictis discesserunt ab oculis ejus, nec ei apparuerunt ultra: ille autem reversus in urbem, reperit urbis medietatem dirutam, atque subversam cum hominibus, pecoribusque, ex quibus nonnulli a ruinis deinceps extracti sunt mortui, pauci debilitati reperti sunt vivi. Veruntamen nec illa casta fuerunt, quae viro huic ab ipso ( ut ita dicam ) Angelo Domini sunt nunciata: nam veniens, omnem domum suam incolam reperit. Tantum funera propinquorum, quae in aliis domibus effecta fuerant, lamentabatur. Protexit vero eum in medio iniquorum dextera Domini cum domo sua, salvatusque est a periculis mortis, velut memoratus Lot quondam in Sodomis.

De

## De vestiendo paupere.

## PUNCTUM LXXXVIII.

Gen. 3.  
Pauperes de-  
sire Deos ab  
origine mundi  
docuit.

Ezech. 18.

Iob. 31. 19.

D. Gregor.  
ibid.

Hebr.

Sept.  
Tigurin.

Orig.  
Iob affluens  
multis, ut  
multos sattu-  
raret, ac ve-  
stiret.

Charitatem hanc primò Deus ipse, dum primos vestivit parentes, qui se ipsos nudaverant, exercere dignatus est. Quàm hæc placeat Deo, quam ve Deus huic cumulatè retribuat, dictum est per Prophetam: *Si nudum operuerit vestimento, vita vivet ait Dominus.* Magna certè, sed fidelis promissio.

Hinc Iob: *Si desperi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem.* Verè dicit, *pereuntem*; quia frigus solum necare potest: Ego talem, inquit Iob, Dei gratia nõ sprevi. D. Gregor. legit: *Si vidi pereuntem*; hoc est, si non statim ac vidi, cucurri post eum, domi recepi, ac operui: nec nudum solummodo terræ meæ, sed peregrinum. *Si vidi prateruntem.* Ignoro ergo proximo, ait Gregor. miserum se indicat, quem prateruntem vocat: quia apud piam mentem plus natura valet, quàm notitia Hebr. sic: *Si videbo prateruntem*; hoc est, si quem semel nudum vidi, nudum amplius non videbo; q. d. quotannis vestiam, nec patiar confici nuditate. O eximiam viri charitatem! non expectabat hyemis rigorem: non expectabat tremorem, & clamorem nudorum; sed statim ac eos videbat, vestibus operiebat. O pietatem Christiano dignam, ante Christi Evangelium exercitam! Sed quæso, ubi? *In terra Hus.* Si non benedixerunt mihi latera ejus. Synecdoche, pars pro toto. Hinc Septuag. *humeri*, & Tigurina, *femora* transtulerunt, quod à capite ad pedes vestiret. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium menarum calefactus est. Ubi Origen. Ad ejus, inquit, tonsuram ovium, omnium pauperum scapula: calefactæ sunt, ob hoc enim & istam multitudinem pecorum nutrit, & maximam agriculturam exercuit, ut plurimis impetraret, ut plurimis beneficeret, non propter os suum tantum, sed

Speranza Scriptura selecta.

A ut multos esurientes saturaret, atque plurimos nudos vestiret.

Sed dices: Tanta ipse præstare nequeo. Audi Chrysostrum: Qui habes vestes, unam petenti tradas: & quoniam ad medietatem præstare gravaris, tertiam saltem partem concedas. Ego, inquit Christus, non tantum postulo, quantum dedit: pretiosam vestem gloriæ te indui; & tu pauperi dedisti partem vestis: ego gloriosum te feci in cælis; tu à nuditate, deformitate, frigore ipsum erige.

Angelorum te concivem feci, & tu corporalem vestem tantum dedisti. Magis accepisti, quam dedisti. O quam hæc D. quadrant Martino! *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit*; et si esset tertia pars chlamydis.

Quomodo potueris, ita esto misericors, & c. *Tob. 4.*  
& de vestimentis tuis nudos tege. Consilium hæreditario jure filiis dandum.

Qui habes duas tunicas, det non habenti. *Luc. 31.*  
Ubi Hieronymus: Quicquid usui humano est necessarium, pro una tunica habendum est, & totum residuum superfluum est, & pauperibus erogandum.

Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & *Psal. 31.*  
quorum repta sunt peccata. Innocentius: O Innocentius: quàm digna recompenfatio, ut pro eo, quod elemosyna nuditatem corporis tegit in alio, iniquitatem mentis tegat in te! E contra, *Agite nunc, divites, plorare ululantes* (ceu lupi,) & c. *vestimenta à tineis comesta sunt*, in testimonium vobis erunt.

Ubi Chrysostr. Vestes non sinamus à ver-

mibus rodi, & absque usu in arcibus putrescere. cum tot sint, qui indigent, & obambulanti nudi, sed veneremur, honoremque demus nudo Christo, plusquam tinea, & induamus eum, qui propter nostram salutem nudus obambulare vult, ut cum ipsum induerimus, audiamus in die illa: *Nudus eram, & vestistis me.* Et alibi. *Matth. 25.*  
Vis corpus Christi honorare? Non despicias ipsum nudum, nec hic quidem in Ecclesia sericis pannis induas, foris autem frigore, ac nuditate confici negligas.

Hinc Isaias: *Et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis,* & subdit: *Parvulus enim natus est nobis.*

N n q. d.

q. d. Nudus hic, tremensq; toto corpore in paupere vestiendus inorum vestimento- rum luxum dominabit, &c.

Isai. 58.

1. Reg. 18.

Cum viderim nudum, si oculos nō claudas, operi eum, & carnem tuam, tuā similem, eiusdem massæ, vel tuam Christum, qui tuam assumpsit, ne despexeris.

Expoliavit se Ionathas tunica, quæ erat indutus, charitatis effectus; & dedit eam David, Christo in paupere.

2. Par. 25.

Iob. 24.

Act. 9.

Hebr.

Omnes, qui nudierant, vestierunt de spoliis, vel milites pii, tu sic crudelis! Nudos dimittunt homines vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.

Sed audi viscera pietatis: Circumsteterunt Petrum omnes viduas stantes, & ostendebant ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Verè Dorcas, quod est caprea: nam instar capreae, acutis oculis in alteram vitam intendebat, unde & adhuc meminit suscitari.

D. Chryf. hom. 35. in Gen.

Effundamus ergo, ut adhortatur Chrysofost. facultates nostras in indigos mente liberali ex his, quæ nobis Dominus dedit, & quæ ab eo data sunt, ipsi iterum demus, ut sic iterum nostra cum lucro fiant. tanta enim eius est liberalitas, quod licet accipiat de his, quæ ipse dedit, non putet tamen propria se accipere, sed magna munificencia nobis ea redditurum se polliceatur. Nū grave aliquid, & onerosum a nobis requirit? Ea, quæ abundat, & supervacanea sunt nobis, necessaria facere vult: & quæ frustra, ac in vanum reposita sunt, ea vult benè distribui, ut occasione accepta hinc nos coronet. Anhelat enim, & urget, ac omnia facit, ut dignos faciat nos his, quæ ille promisit. (Isa. Expectat Dominus, ut misereatur vestri. Hebr. Anhelat Dominus, ut misereatur vestri.) Ne igitur nos ipsos privemus tantis bonis. Nam si agricolæ penu suam evacuant, & semina terræ concredunt, & collecta dispergunt, idque cum voluptate faciunt, spe majora recipiendi se solantes, & quamvis sciant, quod aeris intemperies, nonnunquam & terræ sterilitas, & alia multa accidentia, ut locustarum exercitus, & tubiginis insidiae, spe excidere faciunt, tamen bona

Isa. 30.  
Hebr.

A spe se alentes, ea, quæ in promptuariis collecta habent, terræ concredunt: multo magis nos, quæ absq; usu recondita sunt, dispergere in pauperum usus, & educationem convenit, ubi nunquam spes eluditur, neque timenda aliqua terræ sterilitas. dicit enim: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia ejus manet in seculum seculi.* Brevi tempore distribuit, & perpetuo seculo iustitia ejus permanet.

Psal. 112.

B Hæc optime sentiebat sanctus ille Patriarcha Joannes Eleemosynarius, de quo in Vitis Patrum. Arripuit & hic sanctus hoc bonum, ut in infimo strato recumberet, & vilibus operimentis in cellula sua uteretur. Quod cum audisset quidam possessorum civitatis, ascendens ad eum, & videns, quod operitorium scisso, & lance regeretur, transmisit ei cooperitorium numismatum triginta sex, rogans multam eum, ut eo cooperiretur ad memoriam mittentis. Ille verò hoc suscipiens propter multam viri postulationem, cooperitus est hoc una nocte, & per totam penè noctem dicebat ad semetipsum, ut recitabant cubicularij ejus: *Quis dicit, quod humilis Joannes (habebat enim semper, verbum istud in ore) pallio triginta sex numismata tegatur, & fratres*

In Vir. Pat.

Joan. Eleemosynarius donatum sibi operitorium vendit, ut nudos operiat.

C Christi frigore necentur? Quanti sunt modò, qui dentibus strident præ glacie? Quanti sunt modo, qui phatrum habentes hoc est, matram lubicis dimidium, & supra dimidium non possunt extendere pedes suos, sed dormiunt, ut glomus, trementes? Quanti in monte dormierunt incœnati, & sine lucerna, habentes duplicem cruciatum, tam ex frigore, quam ex jejuniis? Quanti desiderant futuram de foliis oleum, quæ projiciuntur de coquina mea? Quanti vellent tingere panem suum in zemate (id est face, aut jaectura aquarum, ubi carnes coquantur) quod projiciunt coqui mei? Quanti cupiunt vel odorare vinum, quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in civitate ista, in hac hora peregrini, non habentes, ubi hospitentur, & in foro jacent, & pluvia sunt madefacti? Quanti putas, habent totum mensem, vel etiam duos, non gustantes oleum?

Rosney, in annor. & onomast.

D Quanti sunt modo, qui phatrum habentes hoc est, matram lubicis dimidium, & supra dimidium non possunt extendere pedes suos, sed dormiunt, ut glomus, trementes? Quanti in monte dormierunt incœnati, & sine lucerna, habentes duplicem cruciatum, tam ex frigore, quam ex jejuniis? Quanti desiderant futuram de foliis oleum, quæ projiciuntur de coquina mea? Quanti vellent tingere panem suum in zemate (id est face, aut jaectura aquarum, ubi carnes coquantur) quod projiciunt coqui mei? Quanti cupiunt vel odorare vinum, quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in civitate ista, in hac hora peregrini, non habentes, ubi hospitentur, & in foro jacent, & pluvia sunt madefacti? Quanti putas, habent totum mensem, vel etiam duos, non gustantes oleum?

Quanti

Nota viri Dei  
humilitatem

Quanti sunt, qui non habent alterū vestimentum in æstate, & alterum in hyeme, & ita miseris assignantur? Tu verò expectans etiam æternam iucunditatem assequi, & vinum bibis, & pisces immanes devoras, & in cubiculis demoraris, modo autem aum omnibus malis, & in coopertorio trigintafex numismatum te calesfacis? Veraciter ita vivens, & in tali laxatione conversans, non expectabis illis præparatis gaudiis frui, sed audies utique, quod & dives ille audivit: Recepisti bona in vita tua, pauperes verò mala, nunc ergo consolantur, tu verò cruciaris. Benedictus Deus, humilis Joannes alia nocte non cooperietur illo. Justum est enim, & bene acceptum Deo, ut regantur centum potius quadragintaquatuor fratres, & domini tui, quam tu infelix. Venundabantur verò quatuor rachanellæ (id est pauculi) numismate uno.

Mox ergo transmisit illud in crastinum, ut venundaretur. Et videns is, qui obtulerat, emit illud trigintafex numismatibus, & rursus obtulit Patriarchæ. Cum verò in crastinum vidisset illud, emit hoc similiter, & rursus obtulit Patriarchæ, deprecans, ut tegetur ab eo. Cum autem tertio hoc fecisset, dicit ei gratulabundus ille Sanctus: Videbimus, quis deficiet, ego, an tu. Erat enim ille opulentus valde, & suaviter quasi vindemiabat eum Sanctus, paulatim ab eo multa auferens. Et dicebat semper, quod potest aliquis intentione dandi pauperibus expoliare divites, & ipsum etiam hypocamisiū (id est, vestimentū, quod super camisiam est) ab eis benevole auferre, & non peccare, & maxime, si sunt aliqui immisericordes, & avari. Duo enim lucratur talis: unum quidem, quia animas illorum servat: alterum autem, quoniam & ipse ex hoc mercedem non modicam habet.

Quod verò idemmet Patriarcha subdit de Petro Telonario, & ad rem facit, & quorundam optimè redarguit querimoniam. Contigit autem, secundum consuetudinem, procedere eum diluculo ad telonium, & obviam ei nauta, qui à naufragio nudus, ut natus est, evaserat, & cecidit

A ante eum, rogans, ut protectionem apud eum impetraret. Ille ergo putans, quod egenus esset, expoliavit se esophorium suum (hoc est, vestimentū interius) quod illius melius erat, & dat ei, rogavitque eum, ut hoc ipse vestiretur. Pergens verò ille, & erubescens vestiri hoc, dedit illud venditori, ut venundaretur. Et cum recederet Telonarius, vidit hoc suspensum, & contristatus est vehementer, & ascendens domum suam, nihil passus est gustare, sed claudens ostium conclavis sui, sedebat plorans, & cogitans, quia non sui dignus, ut mei memoriā haberet egenus. Cum ergo anxietur, obdormivit, & ecce vidit quendam, si eciosum tanquam Solem, ferentem Crucem super caput suum, & esophorium, quod dederat nau. a, assistentem sibi, & dicentem: Quid ploras, Domine Petre? (Hoc enim erat nomen) Ille verò dixit, ut ad Deum disputans: Quia, Domine, ex quibus largiris nobis, damus alicui, & in turpe lucrum vertunt accipientes. Tunc dicit ei: Cognoscis hoc? Et ostendens ei, quia de intus vestitus esset ejus esophorio, dicit ei: Ecce ego illo vestior, ex quo dedisti mihi hoc: & gratias ago voluntati tuæ bonæ, quoniam frigore affligebar, & tu cooperuisti me. Ad se ergo reversus, admiratus est, & cœpit beatificare egenos, & dicere: Vivit Dominus, si inopes Christus meus sunt, non moriar, & siam tanquam unus ex eis.

De visitandis infirmis.

PUNCTUM LXXXIX.

N On te pigeat visitare infirmum: ex hoc enim in dilectione firmaberis. De san. Eccl. 7. Et illa matrona, quæ prima omnium Xenodochion instituit (hæc fuit Fabiola nobilissima sanguine, sed longè nobilior virtute, ac charitate,) refert Hier tanta eam fuisse præditā charitate in infirmos, ut vel stomachosiores ipsa foveret, neminem, vel horrendum, horreret. Quo-

Nu 2 tics

Expende terminum, benevole, ut dictū sanè intelligas, ne credas fivari licitum, ut elemosinas largiaris.

Petrus Telonarius, esophorium exuit, & nudum regit.

D. Hieron. ad Ocean. in Epist. Fabiola.



S. Paula erga  
infirmos misericordia.

Luc. 16.

Job. 29.  
Sept.

Matth. 25.

S. Bonav. in  
stimulo  
Amoris, c. 5.

Infirmo homini ministrare magis meritum, quam ipsi Christo servire.

ties, inquit Hier. pudore confectos humeris suis ipsa portavit: quoniam lavit purulentam sanie, quam alius aspicere non valebat: præbebat cibos propria manu, & spirans cadaver forbitiunculis irrigabat. Scio multos divites, & religiosos (subdit Hieron.) ob stomachi agultiam, exercere hujusmodi misericordiam per aliena ministeria, & clementes esse pecunia, non manu: sed sicut imbecillitati stomachi veniam tribuo; sic perfectæ mentis ardorem in calum fero. Magna fides ista contemnit. Scit quid in Lazaro dives purpuratus aliquando non feceris, quasi superba mens retributione damnata sit. Ille, quem despiciamus, quem videre non possumus, ad cujus intuitum nobis vomitus erumpit, nostri similis est, de eodem nobiscum formatus est luto, iisdem compactus elementis: quicquid patitur, & nos pati possumus: vulnera ejus existimemus propria, & omnis animi in alterum duritia elementi in nosmetipsos cogitatione fraugeretur.

Commendat itaque Hieron. hujus in pauperes, & ægros pietatem, quæ tanta erat, ut multi pauperum sani languentibus inviderent. Sic, sic, Fratres mei, in proprios humeros, pauperes, ac debiles tollendi sunt. Hæc erat Jobi pietas: Oculi mei caco, & pes claudo, Sept. Oculi mei caco, & pes claudo ego, ego. q. d. Meis in humeris languidos, ac debiles portabam ego, non famulus. Qui nondum audierat: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et Infirmus eram, & visitastis me.

Ubi D. Bonavent. asserit, quod qui infirmo servit, plus meretur, quam si ipsi Christo ministraret. Verba illius hæc sunt: Credo sine præjudicio, quod qui sic, ut dictum est, ferventer, ac diligenter Christo in proximo ministrat, pure propter Christum, & totaliter tendens in ipsum, quod plus mereretur, & virtuosius moveretur, & à Deo amplius approbaretur, quam si proprio Christi Corpori ministraret. Et hoc patere potest: unus enim pessimus homo, si videret Christum in lecto, & bene cognosceret eum esse, credo non esse dubium, quod illi diligenter ministraret; Sed eidem Christo in

proximo cum tanto fervore, ac diligentia ministrare non posset non perfectus, ut credo: imò, ut ita loquar, plusquam perfectus. Et idem toto animi conamine hanc etiam nitamur habere. Quis enim de cætero abhorrebit leprosum, declinabit infirmum, negliget desolatum, cum in eis videamus Christum, & plus possumus mereri, & Deo placere, ut probatum est, quam si ministrarem, & ipsi Christo? Cur, anima, tota die anxialis post Christum? Indicabo tibi, quem diligit anima tua, & sponsa dilecti: certe in infirmaria jacet, & ibi angustatur, ibi torquetur, curre, & illi ministra, illi compater infirmanti, &c.

Quam id bene præstabat Anastasius In Vita S. Basil. ille, quem sanctus invisit Basilus, à quo cum interrogaretur de thesauro, quem domi occultum detinebat, & de vita, quam ducebat: Ego, inquit, peccator sum, subditus tributis publicis, habens De quodam Anastasio, quem S. Basil. invisit, & in cura leprosi occupatum invenit. juga boum duo, unum ad ministrandum vectigalium, & ista mulier est coancilla mea ministrans pauperibus, & mihi. Dixit ei Sanctus: Voca eam sororem tuam, sicut & est, & enarra mihi conversationem tuam. Qui ait: Non habeo quidquam boni, & alienus sum ab omni virtute. Tunc dicit ei Basilus: Surge eamus simul. Et duxit eum ad unam de cellulis domus, forvere, est thesaurum servare. dixitque ei: Aperi mihi ostium. Respondit ei Presbyter: Non introeas, Pater: quia necessaria domus sunt. Dixit ei Basilus: Et ego in ista necessaria veni. Nolente ergo Presbytero aperire, Sanctus aperuit illud sermone. Et ingrediens, invenit ibi leprosum pluribus membris defluxum, quem nemo sciebat ibi esse, nisi Presbyter, & ejus soror. Dixit ergo Presbytero: Cur voluisti mihi occultare thesaurum istum tuum? Qui respondit: Furius est, Pater; & idem timui, ne laberetur in sermone. Dixit ei Sanctus: Bene cecidisti in illo, sed sine me hac nocte ministrare ei, ut & ego mercedem accipiam. Tunc reliquerunt Sanctum Dei in cella cum leproso, clauseruntque ostium. At illa tota nocte super eum faciens orationem, sanavit illum, & sic cum suis reversus est in civitatem.